

CASPARIS DORNAVI
SERMO
SOTERICUS,
DE APERTO
CHRISTI LATERE.



BETHANIE AD ODERAM
JOAN. DÖRFFERUS EXSCRIB.
ANNO MDCCXII.





ILLUST. ET GENEROSISS.
DOMINO,

DN. GEORGIO L. BA-
RONI à SCHONAICH,

BETHANIÆ, CAROLATI, AMBTICII,
MILKAVIÆ &c.
DOMINO,

SAC. CÆS. MAJEST. CONS.rio
MAGNI DUCAT. SILESIE ET MARCHIONAT.
UTRIUSQUE LUSATIE CANCEL.rio
UT ET
PATRONO MEO MAGNIFICENT. mo
L. M. Q.

SERMONEM HUNC SOTERIC.
DEDICO

CASPAR DORNAVIUS

δερν και χδεσ.



42642



SErmonem hunc Sote-
ricum, temporis me sanctimonie ac-
commodans, concinnavi dudum, Ge-
nerosissime Patrone, ex sacrarum literarum,
collatis inter se locis, ex Patribus nonnullis Ec-
clesie superiorum ætatum, nostrisque Doctori-
bus non unis. Quanquam verò non sum ita
improvidus: ut sublime quid peperisse mihi vi-
dear, aut singulare, aut dignum adeò oculis se-
culi hujus oculatissimi atque tenerrimi: induxi
tamen animum meum; ut existimarem: cui vis
pio fidelique licitum esse, pro ingenioli sui di-
menso, versari in rerum divinarum meditatione, &
sermone DEI, qui habitare inter omnes opulenter debet.
Neque enim ii duntaxat referunt

—magnum & memorabile nomen;

qui ad structuram magnificæ domus confe-
runt aurum, argentum, supellectilem pre-
tiosam: sed nimirum etiam in aliquo sunt pre-
tio numeroque; qui stipulas, qui ligna, tigna,
calcem, cimenta congerunt. Ac quoniam
iudicio Tuo, quod ipsi etiam iudiciosissimi ac re-

A 2

putave-

putaverunt & grave, visa est Tibi opella nostra
ita tolerabilis ; ut post recitationem publicam
in vulgus prodiret ; obsecutus sum voluntati
Tuæ, quæ mihi pro imperio semper fuit, est
eritque. Nomini verò Tuo inscribo eam hac
ipsâ septimanâ, eâdem die, quâ, præterito an-
no, publicâ gratulatione applaudebamus va-
letudini Tuæ ; quæ de filo putri tum appensa,
ὡς δὲ τὸ τῆς μηχαῖς Tibi, Ecclesiæ Patriæq; restituta
fuit ; in hunc diem conservata. Quæ etsi
quandoque tentata fuerit assultu morbofo : &
jam-nunc quadantenus videatur tenuis, acci-
sis vireculis: confidimus tamē ; *Deum* Præpoten-
tē in quantulacunq; *infirmate Tua futurum esse effica-
cissimum.* Senum umbræ sæpenumero Juvenum
hastis præstant ; habet veriverbium. Tanti no-
bis est pretii, tantæ necessitatis vita Tua, licet
occiduâ hac ætate : ut Deum veneremur piis
precibus: dignetur Tibi auctarium longissimæ
vitæ addere: ut & corpus sanum diu, & tranquil-
lum serves animum. Quanquam ex Te quoq;
præstas *magnum gubernatorem ; qui & scisso navigat velo ;
& si exarmavit, tamen reliquias navigii ad cursum aptare solet.*
Faxit

Faxit ô ille, qui est longitudo dierum nostro-
rum. Vale Illustrum Magnificentissime Baro:
& me, Collegarumque meorum, atque adeò
universi Bethanèi nostri, quod paterno ample-
xu pro filia foves, commoda & incrementa
benignissimis Gratiis Tuis porro commenda-
ta habet. Bethaniæ in ipsis Soteriis Christi;
quæ & Tua sint: ita voveo

Illustris Mag^r. T^r.

Observantiss^{mus}.

CASPAR DORNAVIUS.

DE APERTO CHRISTI LATERE.



*Uide ego faciam, Domine Jesu; aut quid dicam? cum
Tibi placuerit speculum ex Tua carne conficere; in quo
me ipse cernerem. Allubescat, ô Anima, verbis a-
lienis, sed ex mente nostra compellare Amorem
Tuum crucifixum; in quo—nihil Tibi clauditur: omne
Cor patet; est transfixa caro; quin intima cordis
Viscera. quid dubitas? rivos & flumina amoris
Tot cumulat a vides!*

Hoc igitur, Anima mea, hoc age! Nam si in superstitiosis
Ethnicorum fanis, ad Deastrorum perditas aras, nefarium
erat; abesse cogitatione, qui aderat corpore: quanto ma-
gis sensus nostri, perniciosæ vanitatis illices, hac temporis
solemni sanctimoniâ, abducendi sunt: ut victimam Chri-
sti contueamur piè; religiosè veneremur; imitemur quo-
vis vitæ articulo; in ipso quoque puncti titio mortis. Atq;
eccum immolata jam ab infami arbore pendet piacularis
hostia: jam agnus Dei immaculatus

*—liventia pandit
Brachia, turpatosq; atra de morte capillos,
Orag, demissosq; oculos, frontemq; cruore
Jam madidam, & lato patefactum pectus biatu.*

Hic, Anima mea, consistamus. Et quia plenum est impiæ
stultitiæ, res magnas salutareshue oculo tralatitio limare
aut fugitivo: scrutemur, age, & sanctiori indagine & al-
tiori: quale nobis speculum Christi perforata in pectore
caro, quid aperrum latus repræsentet. Aut enim fallor ego
juxtà cum imprudentissimis; aut in hoc vulnere cernemus;
si conniventes oculos extergere velimus: quales fuerimus;
quales insuper debeamus esse atque possimus. In hoc uno
versabimur

SERMO SOTERICUS.

versabimur defixi corporis animiq; oculis: reliqua, nume-
ro plurima, mysteriis pulcherrima, hoc quidem semihoræ
dimenso, pio silentio obsignabimus. Tu modò Sospitator
Christe, largire per viscus benignissimi Tui cordis: ut pro-
pius ad Te progressi, Te in cruce intuiti, abs Te condoca-
facti; quantum in hac infantili balbutie licet, tecum de-
hiatu lateris Tui eadem felicitate sermocinemur; quâ su-
spenso ad dextram Latroni contigit. Facies hoc, sat scio;
qui delitium Tuum æstimas, cum filiis hominum agere, collo-
qui ideoque,

*— ut amplexurus amans, pia brachia pandis:
ut omnem ad Te venientem non ejicias: sed benignè excipias;
thesauris Tuis ad bene vivendum, beatè moriendum in-
struas. Quid tergiversaris, Anima mea? patet accessus.
Accedimus ergo, Christe, filioli Tui: quippe hostis Tuus
adeft: ille, quem Cappadocia postea martyrio coronasse
dicitur: ille Tibi*

Trajecit ex animi Longinus cuspide costas.
Quanquam de percussoris Tui nomine, aut gente, aut statu
quorsum inquiremus justo sollicitius? eorum quippe est;
qui rerum corticem attingere, quàm medullâ frui malunt,
intemperanter abutentes ocio. Miles erat: id quidem fide
sacrâ, sublesta minimè, constat. Judæusne fuerit, an Ro-
manus, an Græcus; an ex Germanorum quispiam cohort-
te præsidiariâ Caesaris: ne sis importunè curiosus. In Te
descende, quisquis es, Te excute; Te interroga. Nisi callum
obduxerit animus Tuus, ô homo! loquetur Tua Tibi con-
scientia. Te, Te, qualis qualis, quantus quantus sis; see-
leratum telum in pectus innocentissimi hominum intor-
sisse. Adeo nemo est nostrum, ô Anima; qui non ad finis
fuerit eidem culpæ, quâ miles, Christi costas transverberans.
Sit

CASP. DORNAVI

Sit sanè *Nulla fides pietasq; Viris, qui castra sequuntur*: sit, div-
verbio vulgari, militia malitia. At quotusquisque è nobis
sub infandæ malitiæ signis non aliquando fecit infauſta ſti-
pendia? Miles in monte Golgathæ transfigit Chriſtum;
hoc eſt, eo; in quo, ſi vera fides autorum, vel Adami ſepul-
tura exſtitit; vel ejus inventa fuit calvaria. Ab hac calvaria,
ab iſto principio, ducimus omnes carnem peccatricem, &
furorem ſumimus plusquam militarem, in Chriſtum ini-
micas manus convertendi. Execrabilis ſanè, qui latus ami-
ciſſimum vulnerat! cujus verò? Cognoſce, Anima; preti-
um enim eſt operæ, noſſe eum; cujus cognitio ſalutis ini-
tium, ignoratio exitium. Atqui horreſco intimis ſenſibus;
extremis artubus contremiſco: quoties te video, mi Jeſu,
Tuumque latus, quod adeò

— *immitit trajecit Satrapa ferro.*

Quidenim? Atticus ille Solon de parricidis legem non tu-
lit: quòd exiſtimaret: neminem futurum; qui luce priva-
ret eum, per quem lucem hanc adſpexiſſet. Falleris ò bo-
ne Legislator! utinam ſub cruce hac conſiſteres! objiceret
ſe Tibi viperarum progenies; quæ,

— *ne quid inauſum,*

Aut intentatum ſclerisve dolive fuiſſet,

Patrem ter Opt. ter Max. miſerè excarnificavit, excarni-
ficatū ſuspendit, ſuſpenſum laceravit. Cachinnetur Sar-
donio riſu, quantū velit, Mahometana colluvies: eludat, ſi
queat: Deum nec filium habuiſſe unquam: nec, ſi habuerit,
paſſurum fuiſſe: ut de infami ligno exſpirarit. Nos, qui *Deū*
gloria crucifixum, & corde credimus ad juſtitiam, & ore proſi-
temur ad ſalutem; in hoc principium ponimus, in hoc me-
dium, in hoc finem beatitatis noſtræ. Illuxit quippe, ò
Miſericors

SERMO SOTERICUS.

Miſericors Pater, illuxit *dies illa plenitæ temporis; quæ emiſi-*
ſi filium Tuum, factum ex muliere; qui obediens Tibi factus
ad crucis ulq; mortem: ut nos ab execratione legis ſoluti, adopti-
onem acciperemus. Et quiſquam erit tam inflexibili duritiæ
aut aſpritudine? ut hoc magnale DEI non agnoſcat, non
deprædicet

— *quæ Solus Eoi*

Carceribus laxantur equi, ſpaciòq; diurno

Tendit ad Heſperiam quæ mobilis orbita metam.

Quamquam ne ſic quidem Judæorum ſcelus palliabitur
ſatis; nec admittetur prætextus ignorantix, quæ in divi-
no jure eſt inexcusable: ſi effutiant immanes fraudum
architecti: hominem ſe trucidaturos putaviſſe. Homi-
nem verò? Quid nos ad iſta, Anima mea? Propè eſt, ut
cor ſingultiens lachrymas excutiat! Itane Hominem fas
erat, regiſti ſtirpe, Virgine natum regiâ, à Spiritu Sancto,
depuratâ maſſâ conceptum, in jus vocare? Quid dico in
jus vocare? Itane flagitabat jus, aut æquitas per mittebat?
ut indiſtâ cauſâ, præcipitatâ ſententiâ, maledictò ſup-
plicio puniretur criminis exors: is; cujus intellectum ſi
explores, ſapientiſſimus; ſi voluntatem, juſtiſſimus; ſi
mores, graviſſimus ſimul ac gratioſiſſimus; ſi formam,
ſpecioſiſſimus ex filiis hominum; ſi temperamentum, teneri-
mus omnium fuit. Ne iſta quidem ferocia, hoc ordi-
ne, in eum ſtatueda erat; qui in rapinis vixiſſet, & ex ra-
pinis ætatem. Quod facit, Domine Jeſu; ut ad agendas
gratias, quantum valeat, Anima hæc geſtiat,

Cor micet, exultent crepidis præcordia fibris.

Teque adeò veneretur ſupplici ritu: digneris me quoque
ſub umbra Tuæ arboris, in qua hæc ſacra peraguntur,
colligere: quæ innocentiam lectari, injurias ferre, non
inferre,

CASP. IDORNATI

inferre, perinde discam; atque Tu ipse ab eadem arbore, quasi è suggestu oscitantem excitasti, docuisti. Pergendum est, Anima mea; atque illud percurrendum cogitatione: ignobiles feras sævire in cadavera: generosa animalia parant jacentibus:

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:

Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Mitissimo Christo, cujus spiritus in manu patris quiescebat,

— non licet esse tam beato!

Parricidæ & insatiabiles sanguifugæ mortuum infestant! O diras, sed & foedas animas! Non dubium est; quin Angeli quoque pientissimi, hac tantâ tam atroci hostium rabie, amarè fleverint; inter se alas colliserint; facies suas pennis obvelarint. Quid Angelos nomino? cælum indignatur, & in ejus circo

Testatur Sol ipse suum sub nube dolorem,

Jam latitans, atrâq; notans ferrugine frontem,

Quid terra? ipsa præ dolore acerrimo

— mugit: sola vasta moventur:

Detrectans pondus fremitu sua viscera rumpit:

Tecta labant; nutant succussæ vertice turre.

In terris porrò contenta

— marmora, rupes,

Saxaq; dissilvere: furit Neptunus arenis.

Quid plura?

— fragor & pavor errat in orbe:

Ipsa etiam amisso torpent elementa magistro,

Christi hostes emolliri non poterant: ut manus à defuncto abstinerent. Parum ipsis erat; cruciatum omnibus fuisse

SERMO SOTERICUS.

fuisse sensibus: cum oculi, pro salute nostra excubitores, cernerent undiquaque pretiosissimo

— rorantes sanguine rivus:

cum auribus, in rem nostram arrectis, exciperet probrosa dicteria, quasi venenata tela: cum nares, è quibus suave odorem spirat ad nostras delicias, in Calvariae loco foetido malignum halitum conciperent: cum, lingua, Evangelii nuntia, bibit

corrupti pocula Bacchi,

Et felle infecta, & tristiperfusa veneno,

Ingratosq; haustu succos, inamabile virus:

cum totius cutis attactu nulla pars esset expers doloris; nulla cruciatus; languoris nulla. Totus totius corporis truncus concisus flagris: caput

— spinis violatur acutis,

(Inimilis honos, & duraserta corona)

manus, quæ cælum fabricaverant, clavis trabalibus configuntur: itemque pedes, qui latum pacis nuntium adferrebant. Ista omnia, (ut incredibiles animæ dolores silentio involvam) parum erant; nihil erant; erat seviendum in defunctum. Hæc indoles est, ô dulcissima Anima; hæc, inquam, inveterata est malitia cunctorum Ecclesiæ hostium: ut quod magis debilitentur pii; eò ferocius insistent jacentibus;

rorâ cæli fronte juveni

Hinc atq; hinc numero validi, tauriq; jugosis

Educti sylvis fugientem indagine cingunt.

Quid hic agendum? quæ spes? quid consilii? Nempe imitandus est Magister certissimus; cujus omnis actio nostra sit institutio. Cum eo prolapsi in genua, in faciem ad eò, Te

Opitulatorē, ō Deus, Te Ecclesiæ Servatorē inclamamus:

Huc ades, atq; Tuam ne desere Tutor Alumnā.

Confide, Anima! Christo precanti manus tutelares porrexit *fidelis Deus, qui ultra vires tentari sinīt neminem.* Idem Ecclesiæ aderit suæ, & Tibi, Anima, laboranti & oranti; *ὡς δὲ πατὴρ ἡμεῶν* consilium suggeret & auxilium rebus turbatissimis; ut nomen ipsius memorare inter fratres possimus.

—meritūq; fidemq;

In sacri mediæ coctus celebrare corona.

Redeundum est, Anima, ad Christi crucem: videndumque porro; quid carnifices Hierosolymitani moliantur: quam corporis partem petant. Ecce, Anima: apparet jam, quid sibi hostilis mucro velit? pectus ferit; latus adoritur: spatiis inter costas sese infert. Mysterium perpende, Anima mea, & secundi Adami conditionem, plenam salutiferi solatii. Primigenia Eva, ex qua initium ruinæ humanæ, fundamentum structuræ suæ ex primo Adamo habet: postquam opifex cœlestis ex illius

Abstulerat costam laterum de cratibus unam:

Unde genus Tibi, magna parens, unde abdita vita.

Portio, & expressus in Te geminata sigillis

Forma viri. —

Quid secunda Parens, ō Anima? Verè est secunda, est beata, est inculcata: quæ item ex latere, ex costa secundi Adami conditur; Ecclesiam dico, è pectore Christi, in cruce progeneratam; *quæ maculam non habet, non rugam, aut quid ejusmodi.* Vide sis, Anima, incomparabilem benignitatē, Senatus consulto ter sanctæ Triados Tibi decretam: *Ne amorem divideres inter Creatorem & Redemptorem: idem Tibi factus est Conditor & Redemptor.* O memorabile facinus! quidni exclamem? cū ipse ille Doctor, qui in

tertio

tertio *calo* Theologiā didicit, non vereatur hoc sacramentum admirari. Addendum hoc loco & illud, quod oblivisci non debemus: primavū Adamū amore calidissimo persecutum suam Conjugem; cū intellexisset, *os esse ex ossibus suis, ex carne sua carnem.* At Tu Christe, *dilectus meus es!* Tu sponsus in thalamo salutis nostræ,

—rara quem gratia forma

Omnibus humano genitis de sanguine præfert.

Tu Sponsam Tuam ex costa Tua formatam ita foves; tam tenero amplexu pectori Tuo adjungis: ut *neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitas, neque profunditas, neque ulla res creata possit nos separare à charitate Dei;* quæ in hoc reformatore nostro, secundo fœcundoq; Adamo, fundata fuit. An illud habendum insuper? quod ex duro osse formata Eva est: ex carne mollicula Adamus accepit, quo vacuum locum oppleret, redintegraret. Nos quoq; & universa ad eò Ecclesia, si quid habemus firmi, solidi, perpetui; ex latere Christi & costis ejus depromptū agnoscimus: qui omne illud, quod ipse in se habet languidi, miseri, perituri, ex nostra infirmitate in se suscepit: *morbos nostros pertulit, dolores bajulavit.* Excita vicissim, ō Anima, quidquid in Te est scientiæ, quidquid conscientiæ: prehende hos *funiculos* Adami, hos *densos funes amoris;* quibus humanum genus ad se trahit; *ut cibum ei admoveat.* Quod verò æquipondium officii rependet tantoperè amatus homo, miser atque indignus?

Pro Servis Dominus moritur, pro fontibus insons,

Pro agro Medicus; pro grege Pastor obit.

Pro populo Rex maculatur; pro milite Ductor;

Proq; opere ipse Opifex; proq; homine ipse Deus.

B ;

Quid

CASP: DORNAVI

*Quid servus, sons, agrotus, quid grex populusq;
Quid miles, quid opus, quidq; homo solvet? amet.*

Amemus, ô Anima, tam amabile pectus! Ardeat spiritus noster *perpetuo igne*; non eo, qui flammam in sacris Judaicis ex accenso ligno concipiebat: sed mystico illo, puro atq; cœlesti, in altari cordis nostri subinde ad amorē Dei excitato. Hic ventilandus nobis est nutriendusq;: ut elementaris recenti ligno foveatur; novatâ semper meditatione lateris Christi, costæ & pectoris: quam subijcimus cogitationibus nostris & memoriæ, nunquā obliterandæ. Augebitur hic amoris æstus in animo, ô Anima! cū respexerimus, quā

Longum hastile aperit latus ejus,

de quo omnis noster sermo. Nam quid ulterius accusatum ibimus Judæorum malitiam, quam justus scelerum vindex dignis pensabit modis? nos potius, ne blandiamur nobis: nostra est lancea, meum, tuum hastile, ô homo; quod in Christi latus transadigimus. Quæris ex qua fodina erutum fuerit ferrum, unde hasta conflaretur? Fossa est cordis nostri, plena impurissimæ sordis. Quā fornace fuit cūsum? in mundi lupanari. Quā incude subactum? carne illetrice. Quo lentatum malleo? securitate mentis. Quo fabro exasperatum in mucronem? Diabolo, primo architectone omnis sceleris, sartore & fatore omnis cupiditatis pravæ, quæ arma ipsissimo Deo inferat. Jam in promptu est, apparet, tenetur: peccatum nostrum esse lanceam, quæ Christi pectus transfodit. Odirum, & inenarrabile monstrum peccati larva, quæ obnubit nobis faciem! O mitissime Jesu! quousq; recessit sensus, judicium, intellectus meus: ut Tibi manus inferrem criminibus meis? in pectus Tuum involarē?

SERMO SOTERICUS.

rem? ferro illud sauciare non erubescerem? Exterior demum: adflicto me Tibi afflictionem addere; imò plagas Tuas recentare: quotiescunque statuta Tua transgredior: aded *magis Te aggravant vulnera peccati mei, quā vulnera corporis Tui.* Ergo nos, Anima mea, horreamus peccati fœditatem, &

*— pœnas, quas obruta flammis
Sentiet impietas, pedibus quæ vulnera Christi
Conculcat, scelerumq; omnes sibi laxat habenas.*

Non est occultanda peccati vis venenata, & per contagium serpens. Subodoremur ergo, ni planè simus moræ mentis, Diaboli strophas: cujus eò pertinent insidiæ: ut ante delictum fascinet oculos; ne turpitudinem videant: post perpetratum facinus revelat turpitudinem; quò desperabundos faciat. At Tu, Anima: ex Christi miseria, peccati horrorem agnosce. Extimesceret procul dubio Regis cujusunque filius; si coram cerneret; ministrum, suum ferro percuti pro culpa, cui se ipse obstrinxisset. Quantò æquius est, miserabile mancipium contremiscere; cū mentis oculo conspicit: ipsissimi Regis Filium, configi lanceâ pro scelere, quod nefarius servus perpetrarat.

*— O numinis ardens,
O mirandus amor! nostris postponere natum
Cladibus ipse parens voluit, nil tale merentem!
Nos viles animas tantone amplexus amore est
Rex cœli, æternâ Rex majestate verendus!*

Eò enim devenimus, Anima mea; ut tempestivum sit, expendere, quoad possumus: quid pectori Christi ejusdemque lateri acciderit: quid impactam lanceam consequatur, Laceratur

-diro

CASP. DORNAVI

—diromucrone lancea

Intercoctas regio, musculorum sepimento conclusa, quæ patens ad imum usque & concavum thoracis, planè hinc, ac labris utrinque eò usque diducitur; ut manum suam Divus Thomas immittere queat. Salutare profectò vulnus, & tale, quo reconditum Christi pectus denu- datur aperiturque: ut nullà sit fenestrâ opus; quam Mo- mi sciola futilisque impietas deponat. Accurramus, Anima: quid obstitimus? age osculemur pectus, & omni- bus divitiis opulentiùs! exosculemur millies atque ite- rum iterumque millies! Quod si enim pius fuit Constantinus; qui Martyrum cicatricibus impres- sit suspirans oscula: quid nos à Christi vulnere ab- horrebimus? quod radiis solis pulchriùs existit ac lucidiùs. Nec alienum nobis ab officio videatur, contemplari No-achi arcam, & ostium in ejus latere; per quod nisi animan- tes variæ in divinum receptaculum se salvassent; periis- sent:

Cum superi latice, juncti inferioribus undis,
Texerunt summos umbrosa cacumina montes.

Hic plus est, quàm Noachi arca, aut ostium, aut perfugi- um. Hic paradisi est fenestra; porta cæli; hæc salebrosa petra, in qua columbe simplicis innocentie habitare pos- sunt: hæc pertusa arbor, quæ nidulantur aviculæ, dubiâ tempestate;

—vitaq; reclusis

Hic sese insinuant foribus, gaudentq; salutem,
Reminiscere, Anima, trium civitatum trans Iordanem;
quibus licebat, securitatis gratiâ, se recipere: cum occisor im- prudens proximi sanguine manus temerasset. Atqui ego, in peccatis meis, quæ prudens, imprudens cumulavi,
tria

SERMO SOTERICUS.

tria asyla inveniam amœniora & tutiora: in manibus Tuis, Christe Jesu, in pedibus, in hoc vulnere pectoris Tui: quod mihi medium præ non modò Persarum regia, sed Babylonicis muris designavi. Tu modò, Servator Optime; ut Tibi arctissimè uniri possim; ne occlude mi- hi hoc tutelare propugnaculum. Quid loquor? etsi abs Te errabundus fortè secessionem fecero: semper tamen, confido, ad Te reverti licet: quia semper hoc vulnus Tu- um patet; coalescit nunquam; nunquam obliteratur: credo etiam in statu gloriæ Tuæ appariturum, quasi tri- umphale signum: ut videant olim impii, quem transfixerint.

Quid cerno ampliùs? quod flumen, postquam
—latus framea est ad apertum luce carentis,
de hoc latere emanavit? ut

—sanguis & unda resultans

Agmine diffuso virides madefecerit herbas.

Video equidem, benignissime Jesu; Te perpeffurum, ut cordis intimæ fibræ Tibi eradicentur; dum mihi bene sit: video Te effundere, quidquid in corpore humoris erat reliquum; Tibi ne stillam quidem aut aquæ servare, aut sanguinis: dum modò nobis omnia abundè suppetant. Credo etiam; Te post mortem Tuam ita esse animatum: ut pati pro nobis iterum sæpiusque cogites; si ad salutem nostram pertineret. Atqui, ô Jesu dulcissime, non neces- se est, tam largo pretio lytroq; ultrà quidquam erogare: sat profusum est sanguinis:

Unica gutta Tui mihi satq; superq; cruoris!

Consummatum est opus; consummatum; non ut illud mundi architectomicum, quod verbo Te constitit: sed redemptionis, quod, nisi inexplicabili dolore, cruciatu infernali, confici minimè potuit. Utinam nos vicissim,

C

Anima

Anima, utinam æquè prodigi simus nostri ipsius; pro Redemptoris nomine! utinam ingenium, memoriam, voluntatem, honores, facultates, vitam, sanguinem, non in mundi abusum, sed Christi usum perinde expendamus; atque Christus reliquias liquoris sui, post transfixum pectus in cruce. Jam nostrum est, Anima, ex hac scaturigine effundētis Christi, convertere aliquid in succum sanguinemq; nostrum; dum hīc agimus: post mortem quippe defluerit: ut neguttula superfutura sit, quæ conducibilis videatur. Disputent qui velint; naturæ fieri solemnitate: ut thorace aperto ad regionem cordis, non sanguis modò effluat; sed aquosum unà serum; quod pelliculâ conclusum, carnem cordis ambiebat, æstum siccitatemq; temperabat. Nos averso vultu magis magisque juvet, curiosum abducere animum ab inanis sapientiæ argutiis; adducere ad observantiam cœlestis fontis, è latere Christi salutifero purius salientis, quàm ex dextro olim latere templi Hierosolymitani. Hac nimirum die apertus fons efficacior domui Davidis, & habitatoribus Hierosolyma ad expiandum peccatum & immunditiem mensuram Tuus omnino, Sospitator Christe,

—sanguis redimit: feces lavat unda parentum.

Agnosco (utinam oculatè satis, satisq; dignè) signacula; quibus me regenerari cupientem, novam Tibi creaturam paris; mihi me ipsum reddis. Profiteor ego, præque me fero: aquam è sanctissimo Tuo vulnere promanantē, illam esse quæ baptismi sacramento me abluit; tergitque, aded abominabilem animi lepram & pruriginosam scabiem. Huc, ô Anima, festinemus! gustemus, quàm suavis sit Dominus! bauriamus aquas cum gaudio è fontib. hujus salutis. Ac sanè didicimus haud uno vitæ experimento: ex rivulo perquam

perquam exiguo, magnam aquarum sequi inundationem; si coërcitus ille, & aggere coactus, ut stagnet firmeturque, fuerit. Quod si relaxetur agger; jam hinc inde prorumpens aqua,

—quâ data porta ruit;

solum patrium irrigat. In Christi pectore, ex parvo Mariæ fonte congregata fuit aquæ vis incredibilis, quæ perforato illius latere, quasi vallo abrupto, con fractisque ostiis, profilit flumine gratiarum. O gratiam verè immensam! Quid nos deceat, Anima mea vides! Parit gratia gratiam! Quomodo ergo ita corrugabimus frontem; ut in laudes gratiosissimi hujus fluminis erumpere dubitemus? Considera, Anima; quanti boni scaturigo sit hæc aqua? quæ verè efficit; ut nos miseri, fide constantes, etsi

—stygiâ jam compede vincti,

Herentes, laqueoq; pedem retinente trabentes,

ex cisterna, in qua nulls sunt quæ, emittamur. Expende porrò, quæ mala abs Te hæc aqua expellat? mentis cæcitatem, cordis duritiem, ictus Diaboli, sordes animæ; extinguit insuper ignem infernalem: ita gravem; ut captum superet; ita diuturnum; ut termino careat: ita certum; ut sine purgatrice Christi sanguine declinari nequeat. Et non patiemur nos tam salutari aquâ expiari. Adhibeamus quoq; sanguinem, Anima mea, sero permixtum: quo, unâ quasi inductâ liturâ, expungere possumus chirographum illud, quod condemnationi mortique æternæ nos obnoxios reddidit. Hic ille in typo est sanguis hirci, quo ira Dei fulminantis mitigatur: imò hīc ille Pontifex, qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sanctuarium, æternam redemptionem nactus. Hic itaque fideles animæ

—bibite immortalia dona

Hausibus aternis massica fusa cadis.

Hoc mare est rubrum; quo increduli Aegyptii ad perniciem abutuntur & suffocationem: fideles Israëlita transiunt à terra servitutis in Palæstinam coelestem, libertatis plenā & immortalitatis cum lætitia incōparabili conjunctæ. Hæc illa est nota; quā conspersis postibus, non tam januarum, quā nostrorum pectorum; percussor Angelus præterit: nos nostra; in vado esse, tuta atque incolumia sinit. Hic sanguis Abelis, innoxie cæsi, in cælum extollit clamores anxios; non ultionem petens, aut de fontibus pœnas acerbis: sed misericordiam ipsis percussoribus postulat. Combibamus hunc sanguinem, ô Anima, quem fundit felicissimus Medicus; ut fiat agroti medicamentū. Inebriemus nos, ô Anima, hoc vitis succo, è qua vera vita! madescat cor nostrum rore tam divino! At Tu, Miserator Deus excita in me hanc sitim magis magisque: ut quemadmodum

—latrantium vi cervus & agmine pressus,

Mille fugit refugitq; vias, jam fessus anhelos

Ac gloriatus cursu, gelidas adspirat ad undas;

Sicca rigaturus rivis manantibus ora:

Sic mea te cupide mens amens, languida curis,

Atq; gravi percussa metus terrore propinqui,

Suspirante, Deus, gemitu votisq; requirat,

Te vita sitiens fontem, fontemq; salutis.

Quamquam, Anima, redeundum nobis in memoriam; ut elephantos imitemur: qui ad pugnam excitandi, cum sanguinem intuentur, animum sumunt; prælium suscipiunt fortiter, gerunt acriter, felicissimè depugnant. Nobis perinde

—animis opusest, & pectore firmo;

invitati

invitati spectaculo Servatoris nostri cruentati; ut cuncta nobis immissa tela adversitatum sustineamus: ne victas manus ærumnis miseriæq; præbeamus. Lavanda sunt stola nostra in sanguine hujus agni: si cum eo discumbere velimus atque epulari. Improbis est & profligata honestatis miles; qui cum benigni Regis Ductorisq; sui intuetur vulnera; ipse de suis impatienter querulus lamenta ingeminet: non paratus, Christo conformis fieri in cruce; cui in æternæ beatitudinis luce similis fieri cupiat. Quantò est satius, intueri in fidei ducem atq; consummatorem Jesum; qui pro sibi proposito gaudio toleravit crucem, ignominia contempta; & ad dextram throni DEI confedit. Huic cave diffidas Anima; ei; qui potens est, ut velit; misericors, ut possit juvare in discrimine & umbra teterrimæ mortis. Apage ergo mihi, Tentator Satana, rictus Tuos venenatos. Quid mecum Tibi?

—audeſq; minax concurrere telis?

quorsum mihi exponis splendorem atq; munditiem summam, quā me collucere undique oporteat: si coelestis Hierosolymæ civis adscribi velim? Non nego; decenti veste opus esse ad coeleste illud palatium & convivium verè magnificum. At Christi sanguis nitorem mihi conciliat, sole clariorem; pudendosq; meos nævos emaculat. Quid porro, Tentator infernalis, rigidum examen ad tremendum tribunal districti iudicii in die decretorio exaggeras? Sanè non ideo

—mihi tantus anhelam

Dejiciat mentem pavor: ut vivictus & exspes,

Indignantem animam tristi cum murmure fundam.

Major quippe est satisfactio in Christi sanguine; tum propter personæ dignitatem; tum meritum ejus infinitum: e-

ius dico, qui & iudex est, & Patronus, & Mediator, & sponsor, & frater, & pater. Erit super me sanguis Christi, erit omnino; & super filios meos: non equidē in diras & maledictionem, juxta Judæorū horrenda carmina; sed in salutem, in remissionem poenæ reatusque peccatorum. Quid deniq; vilitatem meam corruptor Diabole, sophismatis tuis exauges, traducis protervè? Gratia Christi mei est, qui sanguine suo, quem ore fidei bibere possum ad mysticam ejus mensam, dignū me efficit; ut stare valeam: si nō in ipso intimoque adyto, certè in atrio domus Domini. Hoc mihi abundè sufficit. Contemplati sumus, Anima mea, pro vireculis nostris, pectus Christi vulneratum: à quo nunc quidem decedemus; non animo, aut cogitatione: sed verbis tantisper ex hoc loco finem imponentes; tum toto vitæ nostræ tempore, tum his dieculis maximè adfuturi coram atque arrecti. Quod ut præstare de nobis valeamus; qui nihil boni molimur ex nobis: Tu, Christe Opitulator, & voluntatem nobis largire & facultatē. Vulnera meum quoq; pectus: ut omnis inde vitiorum sanies emanet. Fac *petra* meæ non minùs *findantur*, quàm in morte Tua:

Rumpe mei lapidem cordis, Servator Jesu:

Ut mollita pio viscera melle fluant.

Obscuretur Sol meus: hoc est, vana lætitia pectoris mei, ad illecebras mundi splendoremq; vitreum erumpens, cohibeatur condolenti recordatione perforati Tui pectoris. *Monumenta* in me *aperiantur*: recessus dico tenebricosos mentis meæ, & latebras adfectuum concertantium: è quibus *corpora sanctorum egrediantur*: novi ordinatique, motus, nova bonaq; opera excitentur: sine quibus nemi-
ni in *sanctam civitatem*, ad Ecclesiā triumphantem *ingredi*
licet.

licet. Transfige cor meum, Jesu Servator, charitatis Tuæ sagittā: ut Tibi soli pervium sit; pateat tuis virtutibus; clausum mundo; alienum diabolo; præmunitum adversus peccata & pericula. Adesto mihi: ut ego quoque cor Tuum vulnere sauciem; non cuspidē criminum; sed telo Amoris in Te servidi: ut de me quoq; membro Ecclesiæ sponsæ Tuæ dicere queas: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti cor meum.* Adde ò infinitæ misericordiæ Deus: ut in hoc diducto pectoris Tui vulnere, inter expansa Tua brachia, in sinum Tuum effundens spiritum meum, piè placideque, sine metu, sine motu obdormire possim: &

— *hic rerum fida sacrarum*

Figere tecta, frui ventura in secula quiete.



241
RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ,
SAMUEL
SCARLACHIVS,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ
DOCTOR, PHYSICUS PROFESSOR
PUBLICUS,

AD
JUSTA FUNEBRIA LUCTUOSA,
QUÆ
Juveni ornatissimo doctissimoque,
DOMINO,
SALOMONI RAUPACH,
Lignitio-Silesio,
NUPERRIME
Glandibus bombarda Vulcaniis
miserabiliter

Ante diem in Libitinæ censum relato

Ad d.

A. C.

∞ Id. C. XVIII.

facienda.

Curâ & acerbo officio

fratris mastissimi,

CIVES

Jura Academici fori recognoscentes

invitat.

Typis FRIDERICI HARTMANNI, Bibliopolæ.